SOLOMONIS

Cantici Canticorum

PARAPHRASIS

POETICA.

AUCTORE

GULIELMO HOGÆO.

LONDINI,

Typis *Fr. Collinii*, pro Authore, 1699.

AD

Nobiliſſimum, Illuſtriſſimumque

JOANNEM,

Baronem de Eveſham,

Angliæ Cancellarium, *&c.*

Dynaſta Illuſtriſſime,

MUlti fortaſſe mirabuntur, quod tibi, viro longè honorificentiſſimo, & ſecundum poſt regum Sceptra tenenti locum, libellum tantillæ molis, & tam exiguis arctatum pellibus dedicare auſus fuerim: ſed variis de cauſis hanc mihi aſſumpſi

audaciam: Primo enim, liber hic utcunque eſt exiguus, materiam habet ſacroſanctam, divinam, Θεόπνευστον, *cujus primus Scriptor fuit* Solomon, *Rex Auguſtiſſimus, dictator, Spiritus divinus, Autor infallibilis. Si ipſam ſpectes materiam. O quanta affluit dulcedine, majeſtate, ſublimitate! Eſt namque allegoria ſacra, qua dulcis & benedicti Jeſu Chriſti & ſponſæ ejus Eccleſiæ amores mutui ſuaviter & eleganter deſcribuntur. Nec ulli, niſi monſtra impietatis, auſi ſunt hoc ſacroſanctum* Solomonis *Canticum contemnere; aut conviciis proſcindere, aut ad obſcœnas impiæ libidinis flammas alendas detorquere. Præterea ut hunc libellum perquam exiguum tibi dedicarem, animos mihi addidit multis experimentis perſpecta benevolentiæ tuæ conſtantia, erga eos, in quos animum mentemque benignam accipis: Erga me certè priſtina tua benignitas non ceſſavit ex quo tibi primum innotui commendatione amici tui præclari, Viri omni eruditione, omni bonarum artium*

tium peritia expoliti, Joſephi Waſhingtonii, *Cauſſidici nuper vita functi, ſed eheu! morte ſibi immatura, amicis acerba præreptus eſt, cum jamjam ad altos honores aſcenſurus videbatur: Ille mecum Scholam* Roterodami *florentiſſimam, cui præfuit* Iſaacus Gruterus, *Vir admodum acutus & eruditus, in utriuſque adoleſcentia frequentavit, juvat O meminiſſe beati temporis illius! Ille tui ingenii acumen, & in omni eruditionis genere perſpicaciam magnopere laudabat & admirabatur.*

Præterea ut ſub nominis tui honorifici patrocinio hoc opus in lucem & hominum aſpectum prodire permitterem, animos mihi addidit multorum virorum Doctrina illuſtrium judicium, & benigna Opinio. Robertus Harlæus *Armiger hujus Operis partem diligenter perluſtravit, & perluſtratam valde probavit. Vir ille, quanquam eſt juvenili admodum ætate, in omni eruditionis genere din multumque fuit exercitatus. Eſtque ingenii longè acerrimi &*

ju-

judicii longe acutiſſimi. Levir etiam ejus Thomas Foley *Armiger, adoleſcens ingenii acumine & eruditione præclarus benigne de hoc opere judicavit.*

Sed inſuper Vir Clariſſimus Joannes Mottorſedus, *Verbi divini miniſter doctrina & pietate inſignis, quantum hujus operis in Manuſcripto vidit, valde probavit. Idem ut hæc Carmina componerem ſuo rogatu mihi perſuaſit. Dicebat enim, tu tranſtuliſti* Solomonis *Eccleſiaſten & Proverbia. Quin age, tranferas etiam* Solomonis *Canticum: & dum illud transferebam me benigne opibus ſuis ſuſtentavit. Alii etiam viri eruditi, quantum hujus operis viderunt in manuſcripto, valde probârunt. Hæc omnia mihi animos addiderunt, ut tibi dynaſta Illuſtriſſime atque Nobiliſſime hunc libellum dedicarem.*

Sed ut Propylæum ædificio huic perquam exiguo accommodem, tempus eſt ut huic Epiſtolæ Dedicatoriæ preces ſubjungam.

Ut

Epiſtola Dedicatoria.

Ut divini numinis benignitate diu vivas ac valeas, Orphanorum Pater, viduarum perfugium, afflictorum ſolatium, Patriæ tuæ columna & columen, nobilitatis Anglicanæ *decus, Doctrinæ & Pietatis Patronus, & præclarum ſæculi tui Ornamentum.*

Sum Servus tibi Obſequentiſſimus,

Gulielmus Hogæus.

Per-

Perſonæ hujus Sacroſancti Dramatis ſunt.

Eccleſia Catholica, Sponſa Chriſti.
Chriſtus, Sponſus Eccleſiæ.
Filiæ Hieroſolymæ.
Eccleſia Iſraelitica.
Eccleſia Gentium.

Cantici Canticorum
Paraphrasis Poetica.

CAP. I.

1 CAnticum Canticorum,
Quod est *Solomonis.*
2 *Ecclesia.* Det mî basia, basia
Figat blanda meis ille labellulis,
Nam nec pocula Massici
Tam palpant animum, tamq; hilarant meum,
Quam jucundus amor tuus.
3 Perfusus liquidis totus odoribus
Fragras; mentio nominis,
Unguentum veluti lætificum tui
Blandè naribus influit,
Late virgineos alliciens choros,
Sanctorum pia pectora
Dulcis ducit odor justitiæ tuæ,
Per terras habitabiles
Qua Sol cunque suum flammiferum caput
Cœli in cæruleis plagis
Attollens, radios exhibet aureos.
4 Injecta trahe me manu,

Sic te virginibus cum ſociis ſequar,
Ac dulci violentia
Tractas coget amor poſt tua currere
Plantis terga volucribus.
In conclave ſui dulce cubiculi
En mi Rex aditum dedit:
Atque hic divitias explicuit ſuas
Omnes, omnia præbuit
Hic arcana ſuæ cernere gratiæ.
Ergo lætitiam choris
Noſtram lætificis concelebrabimus;
Nam vinum omne ſupervolant
Impolluta tuæ gaudia gratiæ.
Atque hoc fraude carentium
Nectit pura tibi pectora virginum.
5 En vultum Patriæ color
Nativus (quid enim, quæ manifeſta ſunt,
Fruſtra diffitear?) meum
In Peluſiacis progenitæ plagis
Fuſcat: forma ſed interim
Noſtra hæc fuſca nitet mille leporibus.
O ſtirpe Iſacidûm ſatæ
Pulchra intra Solymæ mœnia Filiæ.
Sic forma vacuæ domus
Horreſcunt Arabum, & nuda mapalia:
Sic contra variè nitent
Pulchra aulæa, domum quæ *Solomontiam*
Pingunt mille coloribus.
6 Cur me ſic avido lumine cernitis,
Quam juſtus pudor obruit?
Fuſcam ſponte nigror me novus inficit.
Nam me Sol radiis ferit,

Æſtivi-

Æſtivique notor cuſpide ſyderis.
Maternæ mihi Filiæ
Iratæ fuerant, & mihi vineas
Commiſêre ſuas, meam
Neglexi at ſtupido pectore vineam.
Ac dum rebus inanibus,
Dum vanis inhio; gloria cœlitum
Contempta ah jacuit mihi,
Longa & perpetui gaudia ſæculi.
7 Dicas O animæ meæ
Lux & delitium, quo ſoleas tuum
Campo paſcere tu gregem,
Et ſedare famem gramine florido?
Quóve antro, aut nemorum avio
His æſtum releves frigore languido,
Dum Cœli mediam terit
Lux Phœbæa viam Sydere fervido?
Nam cur perſequerer greges
Paſtorum, tua non juſſa ſequentium,
Incertóſque trahentium
Vano errore pedes tramite devio?
8 *Chriſtus.* Gentis Fœmineæ decus,
Si neſcis, monitis aurem adhibe meis,
Illuc dirige tu gradum,
Qua grex ſigna pedum clara reliquerat;
Noſtra & juſſa ſequentium
Paſtorum prope tentoria, gramina
Hœdos carpere fac tuos.
9 O vita, O mea lux judicio meo
Par es cornipedum gregi,
Currus qui Pharios robore vividi
Et forma nitidi trahunt,

Et curſu rapidis aſſimiles notis.
10 Gemmis flammiferis genæ
Ardent, vita, tuæ, colláque torquibus
Effulgent rutilantibus.
His tu muneribus mirificè meis
Fulges ſydere pulchrior.
11 At nunc interea nos tibi fingimus
Tres, ipſe, ac genitor meus,
Aque utróque fluens ſpiritus inclita,
Argentum ſuperantia,
Atque aurum Ætheriæ pignora gloriæ;
Nam ſic ſuadet amor tui,
Dotes atque novis dotibus addimus.
12 *Eccleſ.* Dum menſæ meus aſſidet
Rex, & delitias carpit amabiles,
Horto enata animæ meæ
Nardus ſacra ſuis fragrat odoribus.
13 Myrrhæ faſciculo mihi
Lux vita ac animæ delitium meæ,
Longè eſt ille fragrantior.
Tota nocte jacens interea mea
Inter dormiet ubera,
Noſtris pectoribus ſuaviter incubans.
14 Botros Engedicæ mihi
Vincit nectareos lux mea vineæ.
15 *Chriſtus.* O quanta eſt tibi gratia
Formæ, quanta tibi eſt gratia ſplendidæ
Dilecta O mihi fœmina?
Tu caſta aſſimulas lumina Turturis.
16 *Eccleſ.* O quanta eſt tibi gratia
Formæ O vita animæ ac delitium meæ.
O quantus lepor eſt tibi?

In

In noſtro eſt etiam copia narium
Lecto ſtrata virentium.
17 Noſtræ facta cedro culmina ſunt domus
Ævi haud obvia dentibus,
Datque amplas abies florida porticus.

CAP. II.

Chriſtus.

1 EN ego pulchræ roſa ſum Sharonis,
Quodque per valles oritur jacentes
Lilium; tales refero nitente
Ore colores.
2 Aſperis tanquam in tribulis reſulget
Lilium, cunctis nurnum in catervis
Eminet noſtræ facies decora &
Gratia ſponſæ.

Eccleſia.

3 Quercubus ceu glandiferis remiſta
Pomus excellit, mea lux amorque
Stirpis humanæ ſuper unus omnes
Semine cretos
Eminet: quantis ego conſidebam
Gaudiis, dulci ut requiem ſub umbra
Illius carpſi, ſcelerum meorum
Torrida cancro?
Illius noſtro ambroſiam palato
4 Poma manabant; epuliſque ſtructas
Me manu ſecum placida prehendens
Duxit ad ædes.

Mé-

Méque vexillum ſuper elevavit,
Quo meos hoſtes tremefecit omnes,
Dulce vexillum, titulóque blandi in-
ſcripſit amoris.

5 O meas vino revocate vires!
Dulcibus mentem relevate pomis!
Viribus blandi domitum fatiſcit
Pectus amoris.

6 Dextera mentum tenet ille, noſtris
Oſculum figens cupidè labellis,
Méque ſubjecta capiti ſiniſtra
Roborat ægram.

7 Vos ego natæ Solymis puellæ,
Per leves damas, timidaſque cervas
Obſecro, noſtri requiem cavete
Rumpere ſponſi.

8 Blanda vox noſtri ſonat, ecce, ſponſi,
Ecce per montes tumidos reſultat,
Et per excelſos volat ille colles
Ocyor euro.

9 En meus Damæ volucriſque cervi
Inſtar eſt ignis: dirimente muro,
Per cavam vultus dedit exhibendos
Ille feneſtram.

10 Sic mihi dixit mea lux amórque,
Surge quamprimum, mea vita, ſurge,
Surge mirandæ ſpecioſa virgo
Munereformæ

11 En hyems horrens nivibus gelúque
Fugit, undoſus requievit imber:
Nubibus pulſis poſuêre ſævi
Murmura venti.

Ter-

Terror horrendæ, ſpecieſque Sinæ
Igne ſerventi metuenda fugit,
Fugit, atrocem tuba quæ ſonabat
Numinis iram.

12 Floribus prata en renovata rident,
Cantibus pictæ variis volucres
Perſonant: noſtræ querulo gemiſcunt
Turture Terræ.

13 Edidit ſicus nova poma, fragrant
Suaviter vites, teneríque botri,
Surge mirandæ ſpecioſa virgo
Munere formæ.

Chriſtus.

14 O in obſcuris latitans columba
Rupibus, cæca graduum ſub umbra,
Effer ô vocem, precor, & decorum
Exſere vultum.
Auribus noſtris tua vox amæna eſt
Dulce ridentis ſimul & loquentis,
Ac tuum noſtris oculis ſuave eſt
Cernere vultum.

15 Callidas vulpes patulis nocentes
Vitibus; (vites etenim tenellas
Nunc gerunt uvas) age, peſtilentes
Prendite vulpes.

Eccleſia.

16 Se mihi noſter cupidè dicavit
Ignis, huic & me cupidè dicavi:
Liliis hic per decorata paſcit
Prata capellas.

17 Donec Aurora tenebræ reverſa
Fugerint, Damæ volucríſque cervi
More

More ſublimes, mea lux, recurſu
Præpete montes
Tranſili : nam ſic etiam potiri
Te juvat ; denſis etiam ſub umbris
Gratus es, donec videare celſi in
Culmine Cœli.

CAP. III.

Toto hoc capite Eccleſia loquitur.

1 NUper ego in medio quæſivi languida lecto
Delitius animæ, nocte ſilente, meæ;
2 Quæſivi, at minimè reperi ; tunc territa ſurgo,
Membráque ſunt viduo præcipitata toro.
Huc illuc ſine lege ruo, vagor omnia luſtrans,
Urbis per medias exululata vias ;
Cura ſed in vacuos tota hæc abit irrita ventos,
Delitias poteram nec reperire meas.
3 Obvia facta ſui noſtræ cuſtodibus urbis,
Qui circum plateas tempore noctis eunt.
Hos ego compello, veſtrûmne eſt viſus ab ullo
Delitium atque animæ vitæ ſalúſque meæ ?
4 Hos ego vix bene tranſieram *cum* ſponte videndum
Se dedit ante oculos protinus ille meos.
Gaudia quanta mihi viſo hoc venêre ? repente
Hunc rapio cupida detineóque manu ;
Detineo, nec abire ſino, penetralia donec,
Me duce maternæ viſeret ille domus :
Me duce, materni petiit penetralia tecti,
Intima cordis ; ego hîc progenerata fui.
5 O Solymæ vos oro nurus per rura colentes
Cervorum alipedes hinnuleûmque greges ;

Ne

Ne turbate mei ſomnos, nec rumpite ſponſi,
Pro libitu placidè dormiat ille ſuo.
Ejus ne requiem blandam exagitate, nec ejus
Iram in vos Sceleris concitet ullus amor.
6 Quis jam tendit iter deſerta per arida terræ,
Fumus ut immenſos tollit ad aſtra globos?
Sic umbris latet obſcuris, ſed tota Sabæi
Undique perfundit corpora thuris odor;
Totus myrrha, aliis & fragrat ſuavibus herbis,
Velivola advectis per freta longa rate.
7 Illius, ecce, torus, *Solomoni* accommodus uni,
Dædalea ſic eſt conditus ille manu.
Magnanimûm vigilant en ſexagena virorum
Hunc circum, Iſacidûm nobile turba decus.
8 Omnes armati gladiis, & laude coruſci
Martis, & æternum ſanguine nomen habent
Quiſq; ſuum accinctum femori tenet, aſpice, ferrum
Ne ſubitò ingrueret, nocte ſilente timor,
Ætherei ſacrata chori cuſtodia circum
Caſtra locans cunctis hoſtibus horror adeſt.
9 Currum Rex *Solomon* mira ſibi fecerat arte,
Materiam Libani cedrus odora dedit.
10 Aureus axis erat, temo aureus, atq; decoræ
Argento facta eſt ſplendida forma rotæ:
Purpureum velamen erat, Solymæque puellis
Aureus in media ſede paratus amor.
Corpore Chriſtus erat vitio non tactus ab ullo
Factus homo, æterni filius ille Dei; [unum
Hic hic currus erat; Deus ac homo junctus in
Currus ab æthereis venerat ille plagis:
Et barathri Solymas vexit de fauce puellas
Alti in regna poli; cunctáque ſuaſit amor.

11 Eja Sionææ nunc nunc prodite puellæ
Spectatum ! en *Solomon* Rex diadema gerit !
Rex diadema gerit, genetrix quo ornaverat illum,
Fulsit ubi optato lumine læta dies;
Læta dies, Phariam qua duxerat ille puellam,
Et subiit casti fœdera sacra tori.
Hanc spectate diem, nam spes, ventura fruendo
Præcipit, & quod abest illud adesse facit:
Hanc spectate diem, nuptæ qua *Davidis* idem
Stirps & origo sacro fœdere junctus erit.
Tum verò ô quali ornatus diademate nuptam
Secum ad Sydereas evehet ille domos !

CAP. IV.

Christus.

1 PUlchra es, O mea vita, tota pulchra es,
Castam luminibus refers columbam,
Intra tempora dulce quæ renident.
Caprarûmque gregem tui capilli
Formosum referunt, procul nitentem
Pulchro in culmine *Gileadis* alti,
Sic tu cætibus in sacris refulges,
Sursum pectore, vultibúsque tendens,
Lunam & inferiora cuncta calcans.
2 Est ordo quoque dentium tuorum
Par tonsarum ovium gregi tenello,
Ex undis salientibus reverso,
Ablutis maculísque sordibusque,
Quarum quæque parit suos gemellos,
Inícunda nec una, seminísque
In toto grege nulla restat expers.
Sic tu sanguine lota, spiritúque
Prægnans es pietatis, & bonorum A-

Abundas operum, ſcientiaque
Sacra imbuta, alios amore recti
Ducis, atque Deo paris gemellos,
Verbi ſemine de ſacri creatos.
3 O vita, en tua ſuaviter rubeſcunt,
Tanquam coccineum, labella, filum.
Exundantque tuæ lepore voces.
Pomorum tua more punicorum
Duro cortice grana contegentum,
Denſis tempora tecta ſunt capillis.
Modeſtæ tua ſanctitas fidéſque
Mentis tegmine fallit intuentes.
4 Et cervix tua fortis elegan ſque
Turris *Davidicæ* refert decorem,
Quæ munimina fortium virorum
Millenos clypeos habet repoſtos.
Te mens conſcia puritatis intus
Audacem facit, erigitque vultum.
5 Binæ lacteolæ tuæ papillæ
Sunt cervis teneris pares gemellis,
Veſci gramine quos juvat virenti
Intra paſcua plena liliorum.
Gentis in mediis ſacræ catervis
Æternum venerarier parentem
Sincerè, tibi dulcis eſt voluptas.

Eccleſia.

6 Donec lux oriatur & tenebris
Almum reddiderit diem fugatis
Pulchra Aurora, petam cacumen altum
Montis, undique thuris atque myrrhæ
Auris pectora ſuavibus remulcens.
Donec vita oriatur in ſecunda

Nigræ impervia lux beata nocti,
Ad cœleſtia regna mente ſcandam
Et te cætibus in ſacris reviſam,
Et noſtri in penetralibus cubicli
Te divini ego lectione libri
Sæpe, & ſupplice voce, lachrymíſque
Et ſancta meditatione quæram.

Chriſtus.

7 Tota es, O mea vita, pulchra, nulla
Uſquam labe notante, pulchra tota es,
Tota ſanguinis in mei lavacro
Lota, Sydere pulchrior niteſcis.
8 O mecum, mea vita, tu venito,
A Sylva Lybani venito mecum,
A Sylva lybani procul remota
Pulchræ dulcibus urbis a colonis.
Atque a vertice dirigens ocellos
Amanæ viridantis & ſeniræ
Atque Hermonis in ætherem minantis,
Atque à montibus arduis, leonum
Antris undique, tigridúmque plenis
Reſpectans Solymam vide beatam.
Quicquid poſſidet Orbis undiquaque
Latè reſpice, luctuum & dolorum
Hic paſſim, ſcelerumque multitudo
Immenſa omnibus in locis redundat.
Ergo ad regna ſuperna tolle vultum,
Illuc dirige lumen, illa ſedes,
Quæ Sanctis habitatur à colonis
Illa eſt illa tibi petenda ſedes.
9 O dulcis ſoror, O amica, noſtrum
Cor magno rapuiſti amore, noſtrum
Cor magno rapuiſti amore victum,

A-

Amore, unicus è tuis ocellis
Quem dulci intuitu, unicuſque torquis
Cervicem decorando procreavit :
Tu pura pietate, ſpe, fidéque,
Donis, quæ tibi mente liberali
Donavi, mea vita, ſic niteſcis,
Ut mî hæc cernere magna ſit voluptas.
10 O dulcis ſoror, O amica, quantæ
Tuæ ſunt veneres ? tui lepores
Quam dulcedine vina cuncta vincunt ?
Unguentorum etiam halitus tuorum
Quantum aromata ſuavitate vincunt,
Quæcunque in Libya Indiáque toſta
Aut ulla in regione Terra profert ?
11 Tuis, O mea vita, de labellis
Manant mellea verba, ſuavitaſque
Mellis, mollitieſque lactis albi
Sub lingua latitant tua repoſtæ.
Et fragrantia veſtium tuarum
Jucundum Libani refert odorem.
Tuæ juſtitia imputata veſtes,
Noſtro ſanguine parta, ſpiritúque
Noſtro in te inſita ſanctitas fideſque eſt,
Hinc molles mihi profluunt odores.
12 Hortus undique ſeptus eſt amica
Ac ſoror mea, fluminiſque vivi
Fons eſt, firmiter undique obſeratus,
Patris ſpiritus hanc mei tuetur,
Hanc cuſtodia munit Angelorum,
Et defendit ab hoſtibus malignis.
13 Plantarum genus omne ſuaveolentum
Horto pectoris in tui vigeſcit :
Pomus Punica, fructuúmque plena Dul-

Dulcis Camphora, dulcis atque Nardus,
14 Nardus, & crocus, atque Cinnamomum.
Atque omnes ſimul arbores feraces
Thuris, Myrrha, aloéque aromatumque
Omnis copia naribus placentum.
15 Hunc hortum fovet, irrigatque ſemper
Sanctus ſpiritus ipſe ſempiterna
A Sylvis libani fluente lympha.
Fructus flaminis illa ſunt ſacrati,
Dulcis gaudia pacis ac amoris.
16 Expergiſcere frigida ſub arcto
Erumpens Borea, veni peruſtis
Terræ à ſedibus Auſter, ambo veſtris
Noſtrum flatibus hortulum fovete,
Ut ſic dulcis aromatum propago
Jucundè exoriatur, & vigeſcat.
Veni ſpiritus ô beate Patris,
Afflatúque tuo novum vigorem
Noſtro in pectore provoca, excitáque
Marcentis modò gratiæ virorem,
Ut me lux mea gaudeat reviſens.
Nunc meum mea lux amorq; in hortum
Deſcendat, cupidáq; mente fructus
Jucundos comedat ſibi paratos.

CAP. V.

Chriſtus.

1 NUnc veni in hortum, blanda ſoror, meum,
Veni, eccè, vitæ delitium meæ.
Meamq; myrrham nunc ſimul & mea
Odora legi lætus aromata.
Et flava flavis mella fluentia
Favis comedi, lactis & uberem Bibi

Bibi fluorem, & lætifici meri.
O vos, amici, ô pars animæ meæ,
Laute paratos carpite nunc cibos;
Et vina largè ſumite, gaudiis
Cor vina veris exhilarantia.
2 *Eccleſ.* Sopita ſum, ſed cor vigilat tamen;
Vox blanda ſponſi perſonat en mei!
Occluſa noſtri en oſtia pectoris
Stans pulſat, aures & penetrat meas
Et hæc ſuſurris dulcibus inſonat:
O pande duras, pande fores, mea
Amica, dulcis ô ſoror, ô mea
Columba, nullis oblita ſordibus.
Cœleſtis undæ flumine nam caput
Noſtrum madeſcit; nocte cadentibus
Perfuſa ſtillant pectora roribus.
Excluſus hic dum pervigil excubo,
Amor Laborem dum patitur lubens,
Et ſpe futuri gaudia concipit.
3 At ipſa ſomno languida torpido,
Has reddo voces; nuper ego meam
Veſtem exui; mox rurſus an induam?
Pedeſque lavi in flumine limpido
Illóſne rurſum ſordibus oblinam?
Priora vitæ nunc ſcelera exui,
An eſt verendum, ne hæc iterum induam?
Tuíque lota in flumine ſanguinis,
Tota eniteſco ſydere pulchrior.
An pertimendum eſt, ne me iterum ſcelus
Abominandis ſordibus oblinat?
Securitatis ſic adeo malæ
Oppreſſa ſomno, languida torpui,
Lentéque mollem deſerui torum.

4 At noſter ignis interea ſuam
Per ipſa portæ limina dexteram
Blande inſerit; tunc mox amor in mea
Vigore manat viſcera fervido.
5 Tunc mox relicto profilui toro,
Ut noſtro amico limina panderem.
At ecce duram ut contigeram ſeram,
Portam recludens, ambroſia manus
Myrrha madebant, & digiti mei.
Odorque dulcis naribus influit.
6 At cum recluſa eſt porta, refugerat
Heu ille vitæ delitium meæ.
Noſtriſque ſeſe à viſibus abſtulit.
Ah cor fatiſcit, mecum animo meo
Voces amici dum recolo mei,
Maſſam potentes frangere ferream,
Quas clauſa noſtri ad limina pectoris
Dulci ſuſurrans murmure fuderat.
Tunc quæritavi hunc, nec reperi tamen;
Tunc invocavi, at nulla tamen mihi
Seſe invocanti verba regeſſerat.
7 Tunc deprehendunt me vigilum greges,
Urbana dum per compita tranſeo,
Multóque prenſam vulnere ſauciant.
Et queis tueri mœnia jus erat,
Velum pudoris ſuſtulerant mei.
Lex & Prophetæ me ſceleris mei,
Cædunt profundo vulnere ſauciam:
Falſumque velum criminis impii,
Adblandiebar quo mihi, detrahunt.
8 Urbem incolentes ô ſolymam nurus,
Si ſorte vitæ delitium meæ
Conſpexeritis, dicite me mori Amore,

Amore, vitam ni revocet meam,
Blandis remulcens pectora vocibus,
Blandis reducens gaudia visibus.

Filiæ Hierosolymæ.

9 Quis est amicus, dic agedum, tuus,
O fœminarum præcipa omnium
Decore formæ, dic agedum, tuus
Quis est amicus, nos ita flebili
Ut postulares talia murmure?

Ecclesia.

10 Amicus (hunc si nosse amor est) meus
Candore vultus conspicuos habet,
Rubore misto, cuncta que millia
Divûm virûmque laude supervolat.
11 Caput, metallum ceu rutilum, nitet,
Gemmis & auro O quam pretiosius!
Ornata densis tempora crinibus,
Cervos nigrantes assimilantibus.
Hæc dignitatis pignora regiæ,
Hæc clara firmi pignora roboris.
12 Castam columbam luminibus refert,
Rivos aquarum respicientibus,
Quæ lota lacte, & sedibus in suis
Locata recta symmetria micant.
13 Genæ nitescunt, sicut aromatum
Inserta pulchris bina rosariis
Caterva, binas sparsa per areas,
Quæ late odoro flore repullulant.
Labella rubris vivida liliis
Perfusa, myrrhæ dulcis odoribus
14 Stillant: Refulgent magnificæ manus,
Beryllus auri qualiter ignibus
Mistus decoro splendet in annulo,

Et duplicato lumine fulgurat.
Exornat alvum candor eburneus
Flammis pyropi cum rutilantibus.
15 Tanquam columnæ è marmore nobili
Sunt crura, fulcris in rutilis ſitæ
Auri micantis. Vultus amabilis,
Cedris decorus ceu Libanus niter.
16 Ac os redundat mille leporibus,
Quin ipſe totus mille leporibus,
Redundat. En hic ô Solymam nurus
Urbem colentes, hic amor eſt meus,
Lux atque vitæ delitium meæ.

CAP. VI.

Filiæ Hieroſolymæ.

1 QUO ſe nunc tua lux, dic age, fœmina,
Sexus fœminei gloria contulit?
Ecquæ nunc nemora aut quos adiit ſpecus?
Nam tecum juvat hunc nos quoque quærere.

Eccleſia.

2 Hortum ſe mea lux contulit in ſuum,
Atque hic areolas viſit aromatum,
Oblectat teneris pectora fructibus,
Et formoſa manu lilia colligit.
3 Dulcis me mea lux ut ſibi vendicat,
Illum jure pari ſic mihi vendico,
Pulchras paſcit oves ille, virentia
Per prata, innumeris conſita liliis.

Chriſtus.

4 Te Tirzæ ſimilem, te Solymæ tua,
Virgo, forma decens efficit, oppidis
Pulchris Iſacidûm: ſigna gerentium
Tu terrore refers agmina militum.

5 A me flecte oculos, flecte, precor, tuos,
Horum namque decor me rapuit mihi,
Et ſævo domitum vulnere ſauciat.
Crines, ecce, tui ſunt nitido gregi
Caprarum ſimiles, in Gileadicis
Veſcentum tenero gramine rupibus.
6 Dentes, ecce, tui ſunt ovium gregi
Formoſo ſimiles, ſordibus à ſuis
Lotæ nuper aquis quæ ſalientibus
Egreſſæ fuerant, pondere ſingulæ
Quæ bino tumidæ, nec ſterilis, neque
Toto non gravida eſt unica de grege.
Sic tu quæ tenero gramine veſceris
Verbi, vita, mei, lotaque ſpiritu
Noſtro tota nites, tendis ad arduum
Vultu, propoſito, moribus ætherem,
Et fœcunda piis redderis actibus.
7 Pomi particulæ ſunt tua Punici,
Quæ duro tegitur cortice, tempora,
Denſis parte ſui condita crinibus,
Inſtar : ſic humilis vela modeſtiæ
Ornant, ſponſa, tuas, ô meâ, gratias.
8 Senarum en decies, aſpice, virginum,
Ac octo decies eſt quoque pellicum
Turba hîc, & numeri neſcia virginum.
9 Una eſt noſtra quidem pura columba, ſed
Præ multis aliis eſt ea matribus
Fœlix, quæ hanc peperit, quamlibet unicam.
Hanc vidêre nurus, & benedixerant,
Hanc uno ore videns fœmina principum
Laudavêre cohors, turbáque pellicum.
10 Quænam eſt illa novæ quæ faciem gerens
Auroræ roſeam proſpicit, aurea

Formoſæ referens lumina Cynthiæ,
Et Phœbi radiis par rutilantibus,
Et terrore ſui ſigna gerentium
Vultus, aſſimilans agmina militum?

Eccleſia.

11 En hortum innumera dum nuce conſitum
Intro, dum recolo lumine vallium
An fructus vigeant, pomáque Punica
Succis nobilibus ditia germinent?
Uvas an teneras vinea proferat?
12 Mox vires renovans curribus ocyor
Ad te mente feror tota volucribus.

Filiæ Hieroſolymæ.

13 Huc huc oro redi, quæſo, revertere,
Sulamæa, precor, pulchra revertere,
Fixo te liceat lumine cernere.

Sulamæa ſive *Eccleſia.*

Quid veſtris oculis tam memorabile
Sulamæa dabit, tamque notabile?

Filiæ Hieroſolymæ.

Tu Spectacla dabis mira tuentibus.
In te eſt bina cohors bellica militum,
Alternis odiis bella gerentium,
Alternis odiis, fine carentibus,
Donec pars melior ſtraverat alteram.

CAP. VII.

Chriſtus.

1 O Pedum quantus decor eſt tuorum,
Calceos pulchrè impoſitos habentum,
Calceos firmæ fidei, ſuperni
Filia Regis!
Atque junctura femorum tuarum,
Quæ movent greſſus faciles beata in
Semita, gemmas referunt ſtupendi
Arte refictas

2 In-

2 Ingenî. Crater veluti rotundus,
Non carens potu eſt tuus umbilicus.
Liliis ſtrato tua par farinæ
Alvus acervo.
3 Atque cervorum juvenum duorum
Sunt tuæ binæ ſimiles papillæ.
4 Colla formoſum referunt decorem
Turris eburnæ.
Atque piſcinas nitidas ocelli
Heſhbonis pulchræ propre Bathrabimæ
Januam reddunt: Libanique tanquam ob-
jecta Damaſco
5 Turris eſt naſus. Caput & decorum
More Carmeli aerii niteſcit,
Atque formoſi Tyrio refulgent
Murice crines.
Alta ſublimes tua cogitatus
Mens & æternam meditatur æthram,
Nam tuum æternæ caput ipſe ſedes
Incolit æthræ.
Eccleſ. Rex in excelſis meus ambulacris
(Dulcis hæc eſt mî mora) detinetur:
Me tenet, mecum ſpatiatur, & me
Reſpicit unam.
Chriſtus.
6 O quot & quanti tibi ſunt lepores,
7 Vita! tu palmam viridem ſtatura,
Et tuæ botros referunt papillæ
Vitis amænos.
Eccleſia.
8 Dixeram, palmæ ſuper alta ſcandam
Culmina, & ramos virides prehendam,
Atque ſic mecum tacitè ſub imo
Corde loquebar:
Nunc tuæ botris ſimiles papillæ,
Nunc erunt nares ſimiles odoris
9 Halitu pomis. Referet palatum
Pocula vini
(Ut meo ſponſo placeam) falerni,
Quod voluptatem parit innocentem, Nam

Nam fluit venas placidè per omnes
Ore receptum.
Cumque mæandris penetravit omnes
Dulcibus partes, hominum dolore
Ante torpentum, referat disertis
Ora loquelis.
10 Me meus dulci sibi vendicavit
Lege, conjunxit sibi me volentem
Sponsus, & totum mihi se dicavit,
Et sua cuncta.
11 O agros mecum, mea lux revise
Floridos; noctem peragamus ambo in
12 Dulcibus villis speculemur hortos
Mane recenti,
Vitis an pulchros pariat racemos,
Et novas uvas, redeatque pomum
Punicum. Nostros potieris illic
Lætus amores.
13 Halitum dant mandragoræ, & recentum
Omnium ad nostras, veterumque abunde est
Fructuum portas, tibi quos, amator
Blande, reservo.

CAP. VIII.

Ecclesia.

1 O Me beatam si mihi frater fores,
Qui matris hausit ubera
Nostræ; in platæis, sicubi deprenderem,
Te basiarem publicis.
Nec hinc timendi causa foret opprobrii,
Si qui viderent invidi.
2 Te matris ædes in meæ tunc ducerem,
Quæ me doceret, qualiter
Tractare te deceret, atque aromatum
Tibi bibenda traderem
Admixta dulci vina temperamine,
Pomique succum Punici.
3 Capiti sinistram tu meo supponeres,
Amplecterere dextera.

4 So-

4 Solymam colentes obſecro vos, virgines,
Sponſi ſoporem ne mei
Turbate, dulcem ne quietem rumpite,
Se ſponte donec exciter.

Chriſtus.

5 Quænam illa dulcis eſt amica, quæ ſuum
Cupidis amicum brachiis
Amplexa, per deſerta greſſum dirigit,
Terramque ſolitariam?
Pomi ſub umbra te tuis doloribus
Preſſam levavi; hac te tua
Mater ſub umbra peperit, & frui dedit
Vitalis auræ lumine.

Eccleſia.

6 Tu me, ut ſigillum, in corde colloca tuo,
Tuo, ut ſigillum, in brachio:
Eſt namque mortis inſtar indomabilis
Amor, Sepulchro ſævior
Ferox amoris zelus eſt, carbonibus
Flammatur ardentiſſimis.
7 Amoris æſtum fluminum exundatio
Ingentium haud refrigerat.
Amor profundis viridis Oceani vadis
Mergendo neſcit obrui.
Si forte totum quis daret peculium,
Amoris ut compos foret,
Argentum & aurum & omne patrimonium
Eſſet vel alga vilius.

Eccleſia Iſraelitica.

8 Parvam ſororem habemus, illi nulla ſunt
Fœcunda lactis ubera.
Quid de ſorore fiet, ejus publica
Cum facta fuerit mentio,
Neglecta dudum quæ jacet? ſi forſitan
9 Hæc murus eſt, argenteum
Superſtruemus nos ei palatium,
Multo decore fulgidum,
Firmiſque pariter muniemus viribus,
Et gloria exornabimus.

Si

Si forſan illa eſt janua, illi cedrina
Tabulata circumdanda ſunt,
Ut firma durent, nec ſenectæ dentibus
Æruginoſæ obnoxia.

Eccleſia Gentium.

10 Ego, ecce, murus ipſa ſum, atque ingentia
En prominent mihi ubera,
Duarum adinſtar turrium: Ecce lumine
Spectat me amoris indice.

Eccleſia.

Solomon agello in fertili pulcherrimam
Rex poſſidebat vineam:
Hanc collocavit vineam cuſtodibus,
Huic mille nummos ſolvere
Hi debuerunt ſinguli pro fructibus
Curæ ſuæ concreditis.

12 Hæc ipſa noſtra eſt vinea. O *Solomon* tibi
Sunt mille nummi debiti,
Nec non ducenti debiti cuſtodibus
Sunt vineæ fidelibus.
O quanta merces ſempiternæ gloriæ
Caput beatum Eccleſiæ
Chriſtum manebit? quanta merces inſuper
Manebit ipſam Eccleſiam,
Illam in paternam cum domum receperit
In ſæculorum ſæcula?

Chriſtus.

13 O quæ comantes fronde, flore, fructibus
Hortos amænos incolis,
Tibi aſſidentes audiunt vocem tuam,
O ipſe, quæſo, hanc audiam!

Eccleſia.

14 O lux amorque dulcis accelera gradum,
Leviſque adinſtar hinnuli,
Ceruíque, montes arduos aromatum
Huc tranſili fragrantium.
Huc à ſupernis devola mox ſedibus,
Me tecum ut illuc evehas.

F I N I S.

357154